



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

IX. Markgraf Waldemar vereignet dem Kloster Zehden 4 Wispel Korn aus der Mühle zu Lunow, am 22. Januar 1313.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

fide digni. Actum et datum in Werbelino; anno domini MCCCVI, in sexta feria post omnium sanctorum.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives fol. 188.

VIII. Die Markgrafen Otto und Waldemar verkaufen den Wald des wüsten Dorfes Sonneberg mit Zubehör an die Stadt Schönsieff, am 15. Juni 1307.

In nomine domini Amen. Otto et Waldemarus, dei gratia Brandenburgensis, Landesbergenfes et Lufatie Marchiones, omnibus Christi fidelibus presentia visuris seu audituris salutem in eo, qui est omnium vera salus. Necessaria est rerum gestarum descriptio, ne posterius oblivione moti denegare valeant maturo priorum consilio stabilita. Ea propter constare volumus universis tam presentis quam futuri temporis hominibus, quod dilectis nostris civibus civitatis Scawensliet universis vendidimus sylvam Sonnenberg dictam pro nonaginta Talentis Brandenburgensium denariorum cum pascuis et agris extra metas eiusdem deserte ville Sonnenberg libere et solute ac sine mensura iugiter possidendam. Quam quidem pecuniam nobis ipsi cives plenarie persolverunt. Adiciamus etiam, quod si forsan tempore succedente a nobis sive a nostris successoribus villa eadem denuo instauraretur predictam sylvam remoto quolibet impedimento tamen ad usus predictae civitatis cum omnibus iuribus integritate et proprietate statuimus et donavimus perpetue remanendam. Ne autem huiusmodi nostre venditionis ordinatio a nobis seu a nostris heredibus aut successoribus in posterum valeat novercari seu quomodolibet mutari, presentes literas super eo tradidimus nostrorum sigillorum muniminibus roboratas. Adhibitis testibus idoneis videlicet nostris fidelibus Henrico, preposito in Grantzoye, Ludolfo seniore de Wedele, Hassone de Wedele tunc temporis nostro Advocato, Ottone Marscalco, de Holtzendorpe dicto, ac aliis quam pluribus fide dignis. Actum et datum Templin, Anno Domini MCCCVII, in die beatorum Viti et Modesti per manum Everhardi, nostre curie Capellani et Notarii.

Aus der Gundling'schen Sammlung.

IX. Markgraf Waldemar vereignet dem Kloster Zehden 4 Bissel Korn aus der Mühle zu Punow, am 22. Januar 1313.

In Nomine Domini Amen. Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lufatie et de Landesberg Marchio, universis quibus presentes fuerint exhibite Salutem cum Desiderio omnis boni. Bonarum mentium proprietas esse dignoscitur, Gregem dominicam omni Commodo prosequi temporali, ut eo ferventius et commodius Aeterno serviatur auctori. Inde igitur est, quod

inspecta necessitate Cenobii ac Sanctimonialium Deo inibi famulantium in Zehden ac tenui earundem considerato victu, cupientes ipsas aliquo refici Commodo magis pinguiori, dedimus et per presentes literas damus Sanctimonialibus ipsis propter Deum ac anime nostre ob salutem, proprietatem ac libertatem quatuor Chororum de Molendino-Ville Lunow perpetuis temporibus tollendorum. Et ne aliquis volentes molere in dicto Molendino, dum ipse Sanctimoniales dictos Choros adepti fuerint, molestare aut etiam prohibere presumat, presenti Edicto nostro firmiter prohibemus. Ne quoque de premissis alicui Dubium oriatur, nostrum Sigillum presentibus est appensum. Testes hujus sunt Fideles nostri Guntherus comes de Keverenberg, Henningus de Stegelitz, Ludolphus de Wedel, Henningus de Blankenborg, Arnoldus de Uchtenhagen, Milites, et alii fide digni. Actum et datum in Molendino Schweet, Anno Domini Millesimo trecentesimo Decimo tertio, die beati Vincentii.

Nach dem Zehden'schen Copialbuche aus einer Abschrift des Freih. v. Sackwitz.

X. Markgraf Woldemar verkauft der Stadt Schönfließ einen Wald, am 22. Januar 1317.

Noverint universi notitiam presentium habituri, quod nos Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, vendidimus iusto venditionis contractu providis viris nostris de Schowenfliet, presentibus et futuris, ligna cum fundo eorundem sita inter villam Gerlagesdorpe et locum, qui Landtwere appellatur, possidenda titulo proprietatis perpetuo cum omni jure, fructu et commodo et cum defensionatione, que Heghe dicitur, qua nos dinoscimur possidisse. Possunt quoque dicti cives dicta ligna evertere et fundum in agros convertere et agros vendere vel de ipsis disponere, sicut ipsis visum fuerit expedire. Proinde dicti cives nostri nobis dederunt et complete persolverunt quingenta et quadringenta talenta denariorum Brandenburgensium, de quibus dicimus ipsos publice quitos, renunciantes expresse dictis lignis, fundo et proprietati eorundem, quoad heredes nostros necnon quoslibet nostri dominii successores. In cujus rei testimonium nostro sigillo muniri fecimus prefens scriptum. Testes quoque sunt nobilis vir Guntherus comes de Kevernbergh, Droyfeco, Henningus de Blanckenborgh, Haffo et Wedege de Wedell, Rodolphus de Leventhall, milites, Heine, ecclesie Stendaliensis Decanus, Tidemannus Granfoienensis et Evehardus Stolpenensis prepositi, Hermannus de Luchow, nostre curie cappellanus, cum aliis fide dignis. Datum templin, Anno domini MCCC. XVII, die sancti Vincentii Martyris.

Aus Dittmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives f. 53. In der Ueberschrift ist die Urkunde in diesem Copialbuche dem Jahre 1318 zugeschrieben.